



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiasticorum Vita, Moribus, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Capvt LV. Officivm Divinvm vnde desumptum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

fusus disputatas Clemens lib. 8. c. 40. sic loquens: Preces vestras, ait, facite diluculo, tertia hora, sexta, nona, vespere, & in galli cantu, Lib. 2. constit. cap. 63. hortatur Christianos ut quotidie veniant mane, & vespere ad Dominicas (xviii) Tertull. in Apolog. c. 2. ex epistola Plinii ad Traianum refert Christianos solitos esse Deum laudare horis antelucanis, & c. 39. eosdem solitos esse nocte orare. S. Athanasius in libr. de Virginitate, siue de meditatione: Habeto, inquit, Psalterium, & psalmos edisce. Sol exoriens videat librum in manu tua; post tertiam horam, peragito communionem quoniam hac hora adductum est lignum crucis. Sexta hora celebrato preces cum psalmis, plorationibus, & obsecrationibus, quoniam hac hora filius Dei sublatu est in crucem. Hora nona rursus esto in hymnis, & laudibus Dei cum lacrymis consistens peccata tua. Deo supplica, quoniam hac hora Dominus in cruce pendens reddidit spiritum. Hora duodecima maiorem, & crebriorem celebra communionem cum virginibus tuis, &c. Media nocte surgito, & laudato Dominum Deum tuum. Chrysostomus hom. 59. ad populum dicit Monachos veteres noctu orasse, & prima, tertia, sexta, & nona, & vespere consueuisse Deum laudare. August. in lib. 22. de Civ. Dei. c. 8. & epist. 119. etiam istarum meminit horarum. Clemens Alex. l. 7. Strom. meminit tertiæ, sextæ, & nonæ. Itaque septenarius ille Horarum numerus, & Scripturæ, & Apostolorum & Conciliorum, & S. Patrum auctoritate nobis est traditus, quantumvis obganniant vulpeculæ, quæ demoliuntur vineam Ecclesiæ.

CAPVT LV.

OFFICIUM DIVINUM VNDE
desumptum.

§. **P**Reces Canonice, nec nouæ, nec superstitiæ sunt, sed antiquissimæ, & religionis & pietatis ple-

plenissima. Psalmos constat sumptos esse ex Scripturis. Quod autem hi Psalmi semper dicti fuerint in precibus colligitur 1. Corinth. 14. v. 26. Cum conuenitis unusquisq; vestrum Psalmum habet. Et ad Ephes. 5. vers. 19. Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. Quod totidem verbis repetit Apostolus ad Col. 3. v. 16. Et Dionysius cap. 3. celestis hierarchia dicit in singulis ministeriis Sacerdotum cantari Psalmos. Clemens lib. 2. Const. Apostolicar. c. 63. dicit Psalmum 62. qui incipit: Deus Deus meus ad te de luce vigilo, recitasse Christianos diebus Dominicis mane, & vesperi. Tertull. in fine lib. 2. ad uxorem. Sonant inter duos Psalmi, & hymni, & mutuo prouocant, quis melius Deo suo canet (non ad vocis ostentationem) Talia Christus videns & audiens gaudet. S. Athanas. in Apolog. de fuga sua: Manebam in cathedra, diacono iusso, vt psalmum recitaret: Quoniam in seculum misericordia eius. S. Hieronymus epistola. 4. ad Rusticum. c. 8. Dicas Psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus queritur. S. August. epistola 119. ad Ianuarium c. 18. De hymnis & psalmis canendis & ipsius Domini & Apostolorum habemus documenta, & exempla, & precepta. Idem de Psalmis indicat Lactantius lib. de exhortatione ad castitatem, & l. de carne Christi. Psalmos etiam receperunt heretici, vt docet Epiphani. heres. 67. & August. epist. 119. cap. 18. hunc morem fuisse hereticorum,

S. Hymni qui sunt laudes Dei cum cantico, vt docet S. August. in Psal. 72. & B. Isidorus l. 5. Etymolog. cap. 19. antiquissimi sunt in Ecclesia, vt paulo ante ex Apostolo Ephes. 5. & Coloss. 3. demonstrauiamus, quin & ipse Liberator noster à mystica cœna hymnum dixit Matth. 26. vbi homilia. 83. S. Ioannes Chrysostomus: Gratiarum egit, posteaq; edit, & hymnum cecinit, vt nos quoque similiter faciamus. Philo Iudæus in Lib. de supplicum virtutibus:

Psalmos non
ui veteres
Secularis suis
in conuen-
ricula ad
miserunt.

bis: Non solum, inquit, contemplantur, sed etiam cantica & hymnos in Dei laudem componunt vario metrorū carminumq; genere, rithmis concinnatos in augustiorem ac religiosam speciem. Et postea: Tum ille assurgens hymnū in laudē Dei primus canit, aut recens à se compositum, aut desumptum ab aliquo vatū veterum. Quæ Philonis verba summatim excerpfit Euseb. Cæsar. lib. 2. hist. Eccles. cap. 16. Dionys. Areopag. de diuinis nominibus cap. 4. complura refert ex hymnis Hierothei Doctoris sui. Hymnos Ecclesiasticos composuit S. Hilarius teste D. Hieronymo in Catalogo Script. Ecclesiast. & Rabano Mauro l. 2. de Institutione Clericorum cap. 49. Fecit & hymnos D. Ambrosius, vt testatur S. August. l. 1. Retract. c. 21. Ipsemet etiam Ambrosius oratione in Auxentium de non tradendis Basilicis: Hymnorum quoq; meorum, inquit, carminibus deceptum populum ferunt (Arriani) Concil. Tolet. 4. cap. 12. A nonnullis hymni, ait, magno studio in laudem Dei, atq; Apostolorum & Martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut sunt hi, quos beatissimi Doctores Hilarius & Ambrosius ediderunt.

§. Lectiones verò sumptæ sunt partim ex Scripturis, partim ex homiliis Patrum, & vitis Sanctorum. S. lectionum promptus
Vsum autem harum Lectionum constat esse antiquissimum, nam Philo libr. de vita contempla. inter preces Christianorum numerat lectionem veteris testamenti, & scriptorum principum Christianorum. Concilium Laodicense cap. 17. decreuit, vt Psalmis interfererentur lectiones. Concil. 3. Carthag. c. 47. statuit, vt præter Scripturas legantur vitæ Sanctorum, quod suo tempore factum esse indicat S. August. libr. 22. de Ciuit. Dei. cap. 8. Casianus lib. 2. de instit. cœnob. c. 5. vbi dicit à Patribus institutum, vt 12. Psalmi & duæ lectiones in nocturnis legerentur. August. præfat. in epistola S. Ioannis meminit lectionum Euangelicarum, quæ pro diuersitate festorum legebantur. Est, ait, solennitas sanctorum dierum, Euangeliorū varietas pro sacrorū temporum differentia.

rum, quibus certas ex Euangelio lectiones oportet in Ecclesia recitari, quæ ita sunt annuæ: ut aliæ esse non possint. Rabanus lib. de instit. cler. c. 80. scribit traditionem esse Hebræorum ut lectiones inter preces recitentur. Gelasius l. S. Pontifex descripsit lectionum ordinem per totum annum quem habemus in Breuiario Romano, ut patet d. 15. can. sancta Romana. Cur autem lectiones isto ordine sint distributæ explicat Rupertus l. 12. de diuinis officiis circa finem.

Vnde Anti-
phonarum
origo.

§. De Antiphonis. Antiphona græcè, Latinis est vox reciproca, duobus scil. choris alternatim psallentibus, ordine commutato, siue de vno ad vnum. Socrates lib. 6. histor. cap. 8. Nicephorus lib. 13. cap. 8. dicunt S. Ignatium instituisse, ut in Ecclesia laudes diuinæ per Antiphonas, id est, alternatim canerentur; audierat enim in visione quadam cælesti, Angelos Deo laudes alternatim canentes. Ab hoc Ignatio tota Græcia vsum Antiphonarum accepit, & Ambrosius in Latinam Ecclesiam induxit teste Isidoro lib. 1. de officiis c. 7. Sigeberto ad annum 338. & S. August. l. 9. Conf. c. 7. Tunc (inquit scil. sub Ambrosio, ut & in eius vita testatur Paulinus) hymni & psalmi ut canerentur secundum morem orientalium partium, ne populus morosis tedio contabesceret, institutum est, ex illo in hodiernum retentum multis iam, ac penè omnibus gregibus tuis, & per cætera orbis imitantibus. Legendus Almolarius lib. 4. de officiis c. 7. Consultatur infra caput 82.

Responso-
rium origo.

§. Responsoriorum autor primus creditur esse Ambrosius, ut scribit Strabo & Wallafridus de rebus Ecclesiasticis c. 25. à quo omnes Italica Ecclesiæ; deinde ea receperunt, & ab his ad omnes alias deuenerunt, teste Rab. lib. 2. de instit. cleric. c. 51.

Versiculo-
rum fons.

§. Versus ferè ex sacra Scriptura sumuntur excepto vno versu; Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto, qui primo editus fuit à Concilio Niceno, ut habet Strabo. Quod Nicenum Concilium etsi hanc doxologiam disertè

disertè non expresserit, fidem tamen coaeternæ Trinitatis clarissimè docuit. Istius hymni meminit S. Athanasius libr. de virginitate seu meditatione. Non ergò ejus primus auctor fuit Flavianus Antiochenus, vt scribit Sozomenus libr. 3. cap. 9. Theodoretus libr. 2. cap. 24. Tripart. libr. 4. cap. 35. De hoc versiculo præclare noster Cardinalis Franciscus Toletus in Psalm. 31. Et licet aliquando fuerit varietas in dicendo hoc versu: tamen temporibus D. Leonis totus Oriens & Occidens ita recitabat, sicut nos modo dicimus teste Con. Wassenstempo D. Leonis c. 7. Vide Sozom. libr. 3. histor. c. 19. & Theod. c. 24. qui dicunt agnitos hoc versu Catholicos ab Arrianis.

§. Collecta plerunq; collectionem, sive Dei cultus ergò congregatorum hominum conventum significat Lev. 23. v. 36. Dies octauus erit celeberrimus atq; sanctissimus: est enim cætus atq; collecta. Deut. 16. v. 8. Sex diebus comedes azyma: & in die septima, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus. 2. Paral. 7. v. 9. Fecit (Salomon) die octauo collectam, id est, festum cætus, quo scilicet populus in templo, gratias Deo acturus colligeretur. De qua Christianorum multitudine in vnâ Ecclesiam congregata ad sacram synaxin, ad preces publicas, ad diuini verbi expositionem Apostolus ad Heb. c. 10. v. 25. Non deserentes collectionem nostram. Et quia in eiusmodi congregationibus dabatur eleemosynas pro egenis Christianis colligendas oportunitas, ibiq; & illæ suppeditatæ fuere, sunt & collectæ appellatæ. 1. Cor. 16. v. 1. 2. De collectis autem quæ fiunt in Sanctos (Christianos) sicut ordinauit Ecclesijs Galatia, ita & vos facite. Per vnâ Sabbathi (Dominica die, quæ vna seu prima est à Sabbatho qua ad diuinum cultum conuenitis) Vnusquisq; vestrum apud se seponet, recondens quod ei benè placuerit: vt non cum venero, tunc collectæ fiant.

§. Porro

De Collecta-
rum initio.

§. Porrò de collecta, vel oratione vsus Christianorum semper fuit, vt nunquam in Ecclesia colligeretur, quin finis esset orationis, vt constat ex 2. *Apol. Iust.* & ex *Apol. Tertull. c. 39.* & sic statuitur in *Concil. Agaten. c. 21.* & *Concil. 3. Carthag. causa. 23.* & *Mileu. c. 14.* vbi & iubentur Sacerdotes non legere Orationes, nisi ab Ecclesia approbatas, easq; non nisi impari numero dicendas neque vltra septem. Collectæ autem & orationes in nostro officio Romano compositæ sunt à S. Pontificibus, quas teste *Wallefrido & Strabone, D.*

Cur precati-
ancula sacra
fidelium ca-
tum termi-
nantes ap-
pellenur
Collecta.

Gregorius suo tempore in vnum collegit. Dicuntur autem Collectæ, eo quod summa breuitate vota astantium colligant, vt habet *Strabo cap. 22.* & *Micrologus lib. de obseru. Ecclesiastic. c. 3.* & à Sacerdote apud Deum legationem obeunte ad eum referantur, vel quod ex sacris Scripturis & Sanctorum monumentis collectæ sint, vel ex multis sermonibus, vt compendium & breuiarium factæ, quæ tamen & in sacrificii recitantur primordio.

C A P. LVI.

ISTA HORARVM CANONICARVM
vicissitudine Redemptionis nostræ mysteria re-
presentantur.

Quæ vespertina
tempore
mysteria à
Christo per-
acta.

§. **H**ora vespertina (inde enim officium Ecclesiasticum initium sumit) Christus cœnam cum Discipulis fecit, pedes eorum lauit, Sacramentum Eucharistiæ instituit.

Sero crepus-
culo quid a-
ctū à Chri-
sto.

§. Hora completorii, post orationem in horto & sudorem sanguinis effusum, comprehensus ab inimicis, atque ad Annam & Caipham ductus, variis modis illusus fuit.

§. Hora